



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Etiam de aliorum sanctoru[m] veste virtus exit, quæ morbos sanat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

ipsum tollat necesse est, qui tollit cultum reliquiarum; ne in illud incurrat: *Stultus est, qui patre caeso liberis pepercit*, eadem patriam vindicaturis. Nemo igitur animū despondeat: sæpe, vbi nulla amplius vis in herbis, aut Podalirijs, vbi nulla amplius ars in Galenis, ibi inuenitur, in Sanctorū reliquijs. Sic vult Sanctos suos honorare, vt, quemadmodum, *virtutes non quasubet faciebat Deus, per MANVM Pauli*, ita etiam faciat per manum Petri, Sanctorumque aliorum. Nam tanta erat quoque *Iacobi Apostoli vita sanctitas, vt simbriam vestimenti eius certatim homines cuperent attingere*; vtique non sine corporis, vel animi, vel vtriusque eximio emolumento.

Ac, ne fuisse ista tantū existimentur; neque nostris adhuc seculis hic fons miraculorum siccatus est. Passim & agminatim exempla occurrunt. Vnum, pro mille, sed non ab simile, dabo. *Retulit nobis nuper Abbas quidam ordinis nostri*, inquit *Cæfarius, de quodam Monacho, cui tanta à Domino concessa est gratia, vt virtute vestimentorum eius, multi sanarentur. Sæpe, si tamen adhuc viuunt, dum fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur. Quod cum quodam tempore eius Abbas considerasset, nec aliquid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum secretius allocutus est: Dic mihi, fili mi, quæ est causa tantorum miraculorum? Respondit ille: Nescio, Domine; non plus fratribus meis oro; non plus vigilo; non plus ieiuno; non plus laboro: sed vnum scio, quod me non potest extollere prosperitas, neq; frangere aduersitas, siue de persona mea sit, siue aliorum. Cui cum dixisset Abbas: Non te turbauit, quod miles nuper grangiam nostram incendit? Respondit: Non; totum enim Deo commisi. Si medicum habeo, cum gratiarum actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Et cognouit Abbas, quod causa tanta virtutis esset amor Dei, & contemptus rerum terrenarum. Esse igitur etiam nostro æuo coelestes medicos, hac historia docemur. Ex qua etiam discimus, apud quos potissimum, desperatis alijs remedijs, quærenda sit hæc medicina, nempe, apud eos, de quibus dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, qui glorificantes se etiam miraculis glorificat, quod & prædixit: Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horū faciet.* Quare non carpenda, sed laudanda est eorum fiducia, qui, postquam, in quærendis humanis auxilijs, vbi que oleum & operam perdiderunt, ad *Montem sanctum, Oetingam veterem, Lauretum, Romam*, atque ad alia Diuis*

Act. 19. 11.

In Breuiario  
Rom. i. Maij  
lect. 6.

VIII.

Cæfarius  
Heisterbac.  
lib. 10. c. 6.  
Miraculor.

Pf. 138. 16.

Ioan. 14. 17.

sacrata loca peregrinantur. Non enim quotidiana tantum exempla ostendunt, plurimos inibi salutem aut corporis, aut animæ reperire, quam alibi nusquam reperissent; sed etiam hæc ipsa est fiducia in Deum, qui, sicut *virtutes non quasi bet faciebat, per manum Pauli*, ita & per manum Petri, per manum Matris suæ, per manum Stephani, aliorumque & Apostolorum & Martyrum, & Confessorum, & Virginum facere consuevit. Neque hac re honor illius minuitur, sed augetur. Nam quidquid per Sanctos petitur, ab illo petitur; & quidquid à Sanctis patrat, ab illo patrat. Quippe quod quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Et honor seruis exhibitus, est honor dominorum.

**IX.** Si omnia reliqua, desperatissimis in morbis, à Christo allata remedia velim percensere, excrescet vel hoc libri caput, in volumen. Cæcum quis vnquam Machaon illuminauit? Illuminauit Christus, illuminauerunt Sancti. Dæmonem, quis, virtute naturali, ex hominibus expulit? Expulit Christus, expulerunt Christi virtute Sancti. Omitto alios quàm plurimos incurabiles morbos ab ipso curatos. Erat *Ierosolymis Probativa piscina, que cognominatur Hebraicè Bethesda, (hoc est, domus misericordie) quinq; porticus habens*, vbi ægroti (exclusis muro pecoribus & iumentis, ne accedere, & turbare aut profanare aquam possent) aquæ motum expectantes considerent. Igitur *in his iacebat multitudo magna languentium, cecorum, claudorum, aridorum, expectantium*, non Hippocratem aut Chironem aliquem, non *Panaces*, quod ipso nomine omnium morborum remedia promittit: *numerosum, & dijs inuentoribus adscriptum*; vt Plinius refert; sed diuinitus factum aquæ motum. Etenim, D. Ambrosio teste, *vt esset indicium, quia descenderat Angelus, aqua mouebatur*; & instrumenti proprium est, vt nihil quidquam agat nisi à principe causa motum. *Angelus enim Domini, utique bonus (cum non soleat Deus, ad procurandam hominum salutem malos Angelos mittere) siue Raphaël, cuius nomen medicum sonat, siue alius Angelus, cuius officium fuit, sanare, descendebat secundum tempus, siue Paschæ, siue Pentecostes, siue præcipuorum, apud Iudæos, festorum, siue, vt probabilius est, secundum tempus hominibus incertum, alioqui non toto anno inibi expectaturis, certum autem Deo. Descendebat autem secundum tempus hoc in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ, sanus fiebat à quacung; detinebatur infirmi-*

Act. 19. 11.

Ioan. 5. 2.

Plin. lib. 25.  
c. 3.  
S. Ambros.  
lib. de ijs,  
qui mysteri-  
is inician-  
tur. c. 4.